



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 15. De infinita Dei sapientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

interim diuinæ prouidentia reliquis extraordinarijs, quæ ipse voluerit in nobis operari: satis nobis esse existimantes, spem eundi tandem eò, vbi videtur ipse facie ad faciem, & est totus intra omnes, & omnes intra eum, immergi in æterno Domini sui gaudio.

MEDITATIO XV.

DE INFINITA SAPIENTIA & SCIENTIA DEI.

PUNCTVM I.

I.

S. Thom. 1.
p. 9. 14. a. 2.
& 3.



CONSIDERANDVM primò, Deum Dominum nostrum, infinita sua sapientia cognoscere & comprehendere seipsum, diuinam suam essentiam, suas personas, bonitatem, omnipotentiam; & omnes infinitas suas perfectiones: Item oēs actus suos, intentiones, decreta, dispositiones, & reliqua omnia, quæ statuere & facere potest, ita vt nihil possit eius cognitionem effugere, sed satiet impleatq; infinitam diuini sui intellectus inclinationem & capacitatem, idque summa sua voluptate nihil itaq; aut desiderat aut scire potest; quod non sciat. Et in hoc consistit beatitudo Dei: quamuis non propterea sit beatus, quod extra se cognoscat, sed quod cognoscat seipsum.

S. Thom. 1.
p. 9. 26. a. 2.

qui fons est & principium earum. Ex his magnum concipiam gaudium, ob sapientiam, quam habet Deus; & beatitudinem, gaudiumque, quo ex ea afficitur; magnum item desiderium alicuius eius partis consequendæ; beatitudinem meam, non in cognoscendis creaturis, sed in ipso Deo, cœlesti hac & suavi sapientiâ cognoscendo collocans. hac enim cognitione, a *satiabor*, & omnia mea sciendi desideria, explebo. nam, *quid* (inquit S. Gregorius) *non videt, qui videntem omnia videt?* Si tanto desiderio teneris, anima mea; sciendi, expone tuum studium in sciendo Deo; quem statim atque cognoveris omnium tuorum votorum compos fies. Si desideras esse sicut Deus, qui *b scit bonum & malum*, stude Deum cognoscere, & illi servire; sic enim id assequeris; magnam scilicet partem boni cognoscēs, & nullam mali. Et quamvis omnia noueris, si Deum non scias, quid tibi proderit? O Deus sapientissime, & sapientiæ totius fons, nouerim te ipsum, & quod à me requiris; & hæc mihi cognitio sufficit, adiuuante me gratiâ tuâ, ut quod cognouero, diligam; & faciam quod intellexero.

a *Psal. 16. 15*Lib. 4. *Dial.*
c. 33.b *Gen. 3. 5.*

PUNCTVM II.

DEINDE considerandum est, quod Deus Dominus noster eam sapientiam habeat per ipsammet suam essentiam; & per eam tanquam in nitidissimo speculo, videat & comprehendat res omnes, quas per se

m 5

ipiam

seipsum disponit & ordinat; ideoque nec accepit sapientiam ab alio; nec habuit aut habere potuit Magistrum, aut cōsiliarium, nec extra se ipsum librū alium aut exēplar habuit, in quo videret aut disceret, q̄ scit; sed hoc totū habet à se ipso, & in sua essentia; quæ (si ita loqui licet) est illi instar Magistri, cōsiliarii, est ipsius speculū, ipsius exemplar, & Idæa ad totum id quod disponit & exsequitur, & ad quidquid possibile est ipsum scire. Ex quo fit, vt solus Deus sit essentialiter sapiēs, & infinitè sapiens, absq; vllō sapiētiae termino. & sicut dicitur, quòd *a nemo sit bonus, nisi solus Deus*; ita dicere possumus, neminem esse sapientem, nisi solum Deū; quia omnes reliqui natura sua sunt ignari, nec scientiam vllam habent, nisi à Deo illam accipiant; & illa quam habent, est intra certos limites & terminos, adeoque exigua, vt cum sapientia infinita Dei cōparata, sit quasi nihil. Et supra hoc principium fundari debet humilitas & propria cognitio, quando agitur de scientia, vt dicatur cum Salomone:

b Prou. 30. 2 *b stultissimus sum virorum, non didici sapientia*
 Si enim aspicio tēpus natiuitatis meæ, deprehendam me nullam scientiam habuisse; & quam ab eo tempore didici, adeo est exigua, atq; si non esset, neque rem vllam didicissem. Quamobrem, cum Deo comparatus, dicam, quod Socrates aliquando: *Hoc vnum scie, me nihil scire*: & c omnis homo (ait Ieremias) *stultus factus est & ignarus à scientia*, comparatus videlicet cum Deo, qui est ipsa scientia. Hac

a Luc. 18. 19.

b Prou. 30. 2

c Hier. 10.

14. & 52. 17.

con.

consideratione reprimere licebit affectus vanæ complacētīæ, inanī gloriæ, & arrogantīæ, siue præsumptionis, collocando me in vltimo loco mei nihili, & meæ omnimodæ ignorantīæ.

HINC etiam fit, vt maximæ sit arrogantīæ & stultitiæ, penetrare velle & cōprehendere infinitam hanc sapientiam, vt quæ infinitè excedat omnem capacitatem hominū & Angelorū: & vt ait Apost. d qua Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei; Et Ecclesiasticus: e sapientiam Dei precedentem omnia quis inuestigabit? radix sapientia cui reuelata est: & astutias eius quis cognouit? multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Et abscondita (inquit Iob) est sapientia ab oculis omnium viuentium, volucres quoque, Angelos scilicet, & spiritus cœlestes latet. O Deus sapientissime, g qui ascendis & volas super Cherubim, (qui sunt scientiæ plenitudo) quia oēs volatu transgredieris, nec vllus potest eò peruenire, vt intelligat quidquid tu scis. Ego veneror secreta & h abscondita infinitæ tuæ sapientīæ; precorque humiliter, vt eius partem ostendere mihi digneris, quæ mihi expedit, vt tibi seruire teq; amare possim, Amen,

II.

d 1. Cor. 2. 11
e Eccl. 1. 6.

f Iob. 28. 21.

g Psal. 17. 11.

h Eccl. 3. 22

PUNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quòd sapientia Diuina sola; & absq; alterius adminiculo, sit prima inuentrix rerum omnium, quæ fuerunt in mūdo; & ab ea procedunt omnes

omnes

omnes scientiæ, & artes, & inuentiones, in
 a *Eccl. 1. 10.* coelo & in terra; quia a *eam effudit Deus su-*
 b *Isai. 40. 13* per omnia opera sua; Et ideo dicit *Isaias*: b *quis*
adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius
eius fuit. & ostendit illi aliquid noui? cum quo
inijt consilium, & instruxit eum. & docuit eum
semitam iustitiæ, & erudiuit eum, scientiam &
 c *Rom. 11. 33* *viam prudentiæ ostendit illi? O altitudo sapi-*
entiæ & scientiæ Dei, quis cognouit sensum Do-
mini, aut quis consiliarius eius fuit? Gaudeo
 Deus meus, quod tu sis Magister & consilia-
 rius omnium; nullus autem esse possit tuus; esto
 tu semper meus, vt sciam tibi in omnibus pla-
 cere, Amen.

I. HINC descendam ad considerandum ma-
 gis in particulari admirandas inuentiones &
 dispositiones, quæ ex infinita Dei sapientia
 d *Psal. 76.* processerunt, d *meditando* (vt ait *Dauid*) in
omnibus operibus eius, & exercendo me in ad-
 uentionibus eius, per affectiones admiratio-
 nis & gaudij, credens (vt ait *Apostolus*) fide
 e *Hebr. 11. 3.* *verbo Dei aptata esse secula, ita vt ex inuisibili-*
bus visibilia fierent, ex inuisibilibus scilicet,
 quæ intra seipsum æterna sua sapientia dispo-
 suerat. Hoc autem licebit facere primùm dis-
 currendo per sex dies Creationis mundi, per-
 pendendo admirandam sapientiam Diuinam in
 singulis eorum adinventionem, vt fusiùs dice-
 tur inferiùs.

II. ASPICIAM deinde hanc Diuinæ sapientie
 inuentionem in creatione hominis, in qua
 f *Gen. 2. 7.* terreno corpori fex limo terra formato, con-

iunxit spiritum immortalem. & hic perpendam varietatem vultuum, & propensionum, & ingeniorum, quæ est in hominibus; & inventiones, quæ ab illis prodierunt; verbi gratia cõficiendi vitra, pannum, telam; & reliquæ artes, & artificiata, ac scientiæ, quas adeò videmus in mundo florere; quæ omnes ducunt originem ab infinita Dei sapientia. quam obrem mater Samuelis, Deum appellavit, *g sci-entiarum Dominum* quia ipse omnes habet, & ab eo procedunt, quæ in creaturis inveniuntur.

g 1. Reg. 2. 3.

III.

HINC ascendam ad considerandas Diuinæ sapientiæ inventiones, circa Esse gratiæ, quam communicauit hominibus; præcipuè verò illam supremam inventionem, qua naturam humanam cum Diuina coniunxit, in vnitæte personæ in Christo Domino nostro; & illam, qua se in altaris Sacramento collocavit; & innumeras alias rationes & modos, quos quotidie adinuenit in suis electis, vt illos à periculis eruat, in virtutibus promoueat, ac deducat in cælum, vbi sunt stupendæ adinventiones, quas ille excogitavit, ad perfectam eorum beatitudinem.

IV.

Ex his colligam, diuinam sapientiam esse, quæ deducat & comitetur opera, in quibus relucent Diuina eius attributa, opera scilicet bonitatis eius, charitatis, misericordiæ, & iustitiæ: cum sapientiâ enim bonitas comunicatur, charitas amat, misericordia compatitur, & iustitia præmia reddit, & pœnas. Et ita

dicite

h Eccl. 1. 20.

i Psal. 103.

24.

dicit Ecclesiasticus: quod h effuderit Deus sapientiam super omnia opera sua. Et David dicit: omnia in sapientia fecisti, Domine.

HOC totum debet in me affectus magnos excitare admirationis & gaudij, vt scilicet nominatim gaudeam, & habeam Deum adeo sapientem, qui nouerit mille modos & vias adinuenire, vt fines suos assequatur, ad me eripiendum à malis, & bona communicanda, quæ desiderat, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Discam verò hinc, magnam in Deo fiduciam habere, etiam in occasionibus, quæ videntur desperatæ. vbi enim ego nec medium nec remedium inuenio, potest Diuina sapientia media & remedia innumera adinuenire. Pro gratiarum verò actione, conabor & ego cum ipsius gratia & lumine, novos modos adinuenire me mortificandi, & in virtutibus omnibus exercendi, & huic Deo placendi: siquidē d iustus fructum adinventionū suarū comedit; & quotidie I cantabo Domino canticum nouum; propter nouas eius adinventiones, ad bene mihi faciendū. m O Deus & Domine scientiarū, gaudeo de Dño, quod super omnes habes tanquā principium, à quo omnes oriuntur. Da mihi, Domine, scientiam Sanctorum, vt modum illum assequar tibi seruiendi in iustitia & sanctitate.

k Isaia 3. 20.

l Psal. 95. 1.

m 1. Reg. 2.

3.

a Sap. 11. 21.

PUNCTVM IV.

QUARTO considerandum est, quòd inuenta Dei sapientia, oēs res mundi a deo posuerit in NUMERO, PONDERE, &

MEN

MENSURA, comprehendens numerum rerum
omniū, quæ fuerunt, & futuræ sunt; & omniū
earum partiū, membrorum, officiorū & ope-
rum; pōdus quoq; vniuscuiusq; earum, in quā-
titate siue pondere propensionū & affectionū
naturaliū & supernaturalium; mensuram de-
nique vniuscuiusq; in latum, longū, altum, &
profundū; imò & mensuram perfectionis, ta-
lencorū, & facultatum earum: & obstupescā,
quòd tanta sit in omnibus proportio, & admi-
randa dispositio, quanta in singulis & in om-
nibus simul emicat; ob infinitam sapientiam
eius, qui illas ordinauit tali modo & tali or-
dine bonitatis & perfectionis.

HOC deprehendi poterit ratiocinando per
aliquas ex ijs rebus, quas Diuina scriptura ex-
collit, attribuitque soli Deo & infinitæ eius
sapientiæ.

DEINDE, sicut ait Dauid, *b Deus numerat*
multitudinem stellarum, & pondus inclinatio-
nis illarū, ad influendum in terram, & mensu-
ram magnitudinis & perfectionis earum: Ac
propterea addit: *& omnibus eis nomina vocat*:
quasi diceret, quidquid in vnaquaque est, no-
uit. Et eodem modo nouit Deus *c numerū mo-*
tuum, & circulos, quos cæli perficient vsq; ad
finem mundi: Et porò etiam annorū & die-
rum, quib⁹ est duraturus, & vltimi diei in quo
hic ordo *& concentus cæli dormiet*, cessabitque
in æternū. quod, vt ipse Christus dixit, *d neg³*
Angeli cælorum sciunt, nisi solus Pater: quia vi-
delicet res hæc soli scientiæ Dei referuatur.

S. Thom. 1.
p. 2. q. 5. a. 5.

II.
b Psa. 146. 4

c Iob. 38. 33.
37.

d Matt. 24.
36.

ET

ET inferius descendendo ad ea, quæ in aëre geruntur, Deus habet in numero omnes cometas, fulmina, tonitrua, & guttas pluiæ, & floccos niuis, numerum ventorum & grandinum; quorum omnium & pondus, & vim, atque singulorum inclinationem probè tenet; quia e fecit ventis pondus proprium; & eadem ratione dedit pondus niui, grandini, fulmini, quæ omnia ex dispositione sapientiæ Dei, ve ait Iob, exeunt, illo suo pondere, quo Deus illamittit, & in eum finem, in quem mittuntur. Quare magna mihi esse debet fiducia in Deum, cum huiusmodi aliquæ tempestates ingruunt, memoria tenenti, quod illæ omnes à Diuina sapientia in magnos & optimos fines destinantur.

e Iob. 28. 25.

f Iob. 38. 35.

III.

g Isaiæ 40.
12.

MOX perpendam, quod idem Deus Dominus noster, sua sapientia gmetitur pugilla quas, & cælos palmo ponderat, & tribus digitis molem terræ appetit; & ita nouit laticudinem, & longitudinem, altitudinem, & profunditatem, quam habent, & grauitatem ac pondus singularum rerum. nouit quoque numerum rerum omnium, quæ intra hæc elementa continentur, & suprâ ipsam terram, etiam numerum arenarum maris, & auicularum, ac hoserum; siquidem nec vnus ex illis cadet super terram absque prouidentia Dei.

h Matt. 10.
29.

IV:

i Psal. 38. 6.

MAGIS etiam in particulari perpendam quæ pertinet ad homines; quorum numerum ab Adamo vsque ad finem mundi in promptu habet: annos quoque, i dies; & horas, quæ

quæ

quisque est victurus; & horam illam, k qua est
 moriturus. Item omnia ossa & lecapillos habet
 numeratos, ita vt nec in vnus absque Diuina sa-
 pientia & prouidētia sit periturus: Item nom-
 nes hominum gressus dinumeratos habet, o vias
 & actiones oēs eorum, bonas & malas, præte-
 ritas & futurās; pondus item & propensionem
 cuiusque, talentum & facultatem, mensuram
 & perfectionem naturalem & supernatura-
 lem, quam habet in anima sua, & in actioni-
 bus suis: nam infinita eius sapientia hæc om-
 nia distribuit in pondere & mensura, quia et-
 iam o spirituum Ponderator est Deus, & operum
 quæ faciunt: quia & pondus & valorem ipso-
 rum nouit.

k Iob. 14. 15

Psal. 138. 4.

Matt. 10.

30.

Luc. 12. 7.

in G. c. 21.

18.

Iob. 14. 10

o Prov. 16. 4

Ex hac consideratione, conijciam me in
 manus Dei, & insignitæ eius sapientia, quæ in-
 fallibilis est, & certa: statuam verò non fide-
 re meis phantasijs & apprehensionibus, circa
 numerum annorum, dierumque vitæ; nec in
 æstimatione talentorum, aut facultatum natu-
 ralium, aut donorum gratuitorum, aut men-
 suræ meorum meritorum & virtutum: sed
 certò statuam; id quod sum in oculis Dei om-
 nia videntis, id me esse, nec ampliùs.

ULTIMÒ ascendam ad considerandum, quæ
 sunt super cœlos: perpendens quòd Diuina
 sapientia etiam disposuerit quidquid ibi est,
 cum ordine, pondere, & mensura. quare nu-
 merus Angelorum, qui sunt in omnibus Cho-
 ris & Hierarchijs; & omnium beatorum, qui
 iam sunt, & postea futuri sunt, notus est illi:

V.

V I. Part. Med.

n

nouit

Ps. Reg. 20.
4.

nouit quoque pondus & mensuram perfectionum naturalium & supernaturalium eorum, quibus munia distribuit, iuxta ordinem & decretum Diuinæ suæ sapientiæ, & mensuram gloriæ & meritorum illorum. Quæ omnia perpendens, prorumpam in vehementis admirationis & stuporis affectus, ob infinitam Dei Sapientiam, idque multò magis quàm Regina Saba, p. cum vidit sapientiam Salomonis, & distributionem, & ordinem rerum domus eius: ideoque affectu magis accenso dicam, quod illa dixit: Verus es Deus meus, sermo, quem audiui de infinita tua sapientia; & maior est sapientia & operum tua, quàm sit rumor, quem de eis audiui: beati viri tui ciues & serui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. O sapientia infinita, quæ itatus & disponis omnia in numero, pondere, & mensura; eadem, quæ solo, ratione dispone res omnes animæ meæ, augens in ea numerum operum bonorum, pondus feruentium affectionum, & mentis gratiarum, mihi cōcedens quæ confertam, & coagitatam; & superfluentem mensuram gloriæ tuæ, Amen.

q Luc. 6. 38.

PUNCTVM. V.

QVINTÒ est considerandum, quod infinita Dei sapientia sit æterna, & immutabilis, profundissima & evidentissima, & tota simul, vnico enim & simplici aspectu attingit ab vna ad alteram æternitatem.

videtur

videns vnico intuitu, quidquid est possibile; vt videatur & cognoscatur. Quare à quo Deus est Deus, ita scit quidquid scit, vt nihil de nouo scire possit: quia ipsi nihil potest esse noui: nam omnia præterita, præsentia, & futura, & quæ modo aliquo sunt possible, omnia distinctè cognoscit, summaque euidencia, nulla dubij vel specie admixta, aut opinione, aut perplexitate: in Deo itaque nec ignorantia esse potest, nec error, nec dubium, nec deceptio in re aliqua, quæ sciri possit: & ita dicit Ecclesiasticus: a *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo ante quam crearentur, omnia sunt agnita, etiam postquam transferunt; & iterum: b à seculo vsque in seculum respicit, & ab vna æternitate ad alteram.*

a Eccl. 23. 28

b Eccl. 39. 25

I.

HÆC veritas est ad nostram vtilitatem trahenda, & ratiocinandum magis in particulari per res præteritas, præsentis, futuras, & possibile. Primum enim Deus Dominus noster, infinita sua sapientia agnoscit res omnes præteritas, à principio mundi, vsq; ad hoc momentum præsens; habetque illas ita sibi præsentis, atque si reuera non transuissent. quare impossibile est obliuisci Deum eorum, quæ semel nouit; aut operum bonorum & malorum, quæ vidit; neq; alicuius hominum, siue boni siue mali; quis aliter meminere horum, quàm illorum:

n z

impro-

improborum enim recordatur, ut illos castiget, propter ipsorum scelera, quorum nunquam obliuiscitur Deus; bonorum autem est memor, ut reddat illis premia, propter opera bona, quorum semper habet recentem memoriam. quauis dicatur impiorum obliuisci, quia illos non curat, ut illis beneficiat in penam scilicet scelerum ipsorum. Et hoc ipsum in me conuertens, debeo credere Deum recordari mei, & rerum mearum ita distincte, atque si solus essem in mundo: semper enim presentem me habet in sua memoria, & sapientia aeterna, nunquam ab ea me delens: ideoque cogitabo, illi mihi dicere, quod aliquando dixit ciuitati Sion: *cūquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si oblit a fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ego in manibus tuis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Ne obliuiscaris Dei, anima mea, quem scis non obliuisci tui; scribe illum in tuis manibus, siquidem te ipse scriptam habet in suis; pone ante oculos tuos ea, quae eius seruitij, siquidem habet ipse in suis, quae ad tuam pertinent utilitatem.

II.

DEINDE, Deus Dominus noster, infinita sua sapientiam cognoscit quidquid in hoc die, & in hoc momento, in toto sic uniuerso, ita nulla res possit ipsum latere: quia etiam secreta cordis cuiusque hominis penetrat, quae uis occultissima; imaginationes, cogitationes, desideria & proposita, bona & mala, & quae quid nec homo nec Angelus cognoscere potest.

c Isai. 49. 15

est, nisi eadem spiritus, qui illa cogitat, & multo adhuc plura, quam homo cogitet, aut sibi fingat, nulla super ea facta reflectione: penetrat & comprehendit Deus; ad quem solum spectat talis comprehensio, sicut dixit Ieremias, & Apostolus amplius declaravit, dicens: *diuinus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior d. Jerem. 17. 10*
omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad dissolutionem anima ac spiritus; & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Quare, si quidem oculi Dei semper aspiciunt, quæ tu, anima mea facis: e videant oculi tui semper recta, & palpebrae tue precedant semper gressus tuos, aspicientes primò, vbi figas pedem tuum, quia Deus te aspicit: reijce ex ore tuo verba hominis veteris, quia, f Deus est scientiarum Dominus, & penetrat ponderatque cogitationes cordis. *d Heb. 4. 12*
c. Prov. 4. 25
f. 1. Reg. 2. 3.

III.

TERTIÒ, Deus Dominus noster, infinita sua sapiëntia nouit omnes res futuras, & euenturas per totam eternitatem, quamuis à libero nostro arbitrio dependeant: habetque sibi eas adeò præsentis, atque si iam fuissent, aut nunc fieret; & interdum eas suis amicis reuelat: estque impossibile non euenire, quod ipse reuelat euenturum. ita enim intuetur, sicut succedet, atque si iam reuera ita esset; idque est adeò proprium Diuinæ sapiëntiæ, vt neq; homo, neque Angelus ita cognoscere possit. quàm obrem dixit Ilias: *g annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dñs estis vos.* *g Isai. 41. 23*

quasi diceret, proprium est signum diuinitatis, res futuras & quæ à libero hominis arbitrio dependent, cognoscere.

I V.

SED vltcrius adhuc progreditur hæc infinita Dei sapientia; quia non solum cognoscit quæcunque homines & Angeli sunt facturi; sed illa etiam, quæ vtentes libertate sua & auxilijs, quæ ipse illis dare voluerit ex gratia sua, facere possunt. Et infinita hæc sapientia, profundissima, & occultissima disponit ac dirigit, aut certè permittit ea, quæ eueniunt; relictis alijs, quæ alijs euenire potuissent. in qua re demissè debeo secreta eius iudicia venerari, dicens cum Apo-

hRom. 11. 33.

i Psal. 138. 6

stolo: *h O altitudo diuitiarum, sapientia, & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius; i Mirabilia facta est, Domine, scientia tua, confortata est, & ita supra me eleuata, vt non possim ad eam ascendere. Veneror itaque illam cum animi demissione; & supplico, vt vitam meam iustitiamque tuam dirigas, vt æternam obtineam gloriam. Amen.*

PUNCTVM VI.

VLTIMò tandem est considerandum quòd infinita Dei sapientia, comprehendat & complectatur res cæs, quæ tantum sub diuinam Omnipotentiam, & sunt potestabiles, quamuis nunquam sint euenturae: quæ tot sunt numero ac perfectione, vt quales

que hactenus commemorauimus, ea si comparatione, sint quasi vna gutta aquæ cum toto Oceano comparata: eognoscit enim Deus infinitos Angelos, & cœlos, ac mundos infinitos, & infinitas alias dispositiones, valde ab his distantes, & cum alijs perfectionibus multo maioribus; ita vt, si mundus iste duraret per vnum millionem annorum, cognoscat Dei sapientia, se posse singulis diebus mundum alium creare, hoc perfectiorem; & his omnibus creatis, est adhuc infinitum, quod cognoscit se posse creare. O abyssus incomprehensibilis! ô pelagus immensum, & thesaurus infinitus sapientiæ Dei! Gaudeo, Domine, te ad eum esse sapientem, vt comprehendas quidquid sciri potest, ita vt nihil te lateat. Gaudeo etiam de ea delectatione, quam in hac cognitione sentis, qua simul te ipsum agnoscis, in cuius Omnipotentia hoc totum continetur. Nunc, Deus meus, fateor, scientiam nostram nihil esse, si ad tuam comparetur: a *Et cum vix par-* a *Iob. 26. 24.*
uam stillam sermonis tui audire & intelligere
possimus, quis poterit tonitruum magnitudinis
illius intueri, aut cognoscere? & si quod de tua
sapientia reuelasti, non est nisi vna gutta,
quanta erit immensitas eius, quod in illa la-
teat! b Magnus es in omnibus, & magnitudo b *Iob. 36. 26.*
tua vincens scientiam nostram; est tamen
gloria nostra, quod à te vincamur, à quo &
scientiam & magnitudinem, quam habemus,
accipimus.

c Sap. 7. 13.

d Coloss. 2. 3.

S. Thom. 3.

p q. 10. a. 2.

c Isai. 48. 17

f Sapi. 9. 10.

EX dictis concludam, quod infinita Dei Do-
 mini nostri sapientia, sit infinite liberalis in se
 c communicando sine inuidia; quia potius oble-
 scatur communicando se hominibus, Angelis,
 Cherubinis, Seraphinis, & omnibus spiri-
 bus beatis: præ omnibus verd animæ Christi
 Redemptoris & Dñi nostri, d in quo sunt omnes
 thesauri incomprehensibilis sapientia & scien-
 tia absconditi. Sed quamuis ei communi-
 rit cognitionem rerum omnium præteritarum,
 præsentium, & futurarum per totam æterni-
 tatem, vt ait S. Thomas; multò tamen infini-
 ties plura comunicanda sibi retinuit, eò quòd
 sit impossibile id totum puræ creaturæ com-
 municari. Ex hac liberalitate, occasionem su-
 mam supplicandi, vt eam sapientiam mihi
 comunicet, e docens me vtilia ad saluatio-
 nem meam. O Deus sapientissime, fmitte sa-
 pientiam de cælis sanctis tuis, & à sede mag-
 tudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum labores
 sciam quid acceptum sit apud te omni tempore
 præcedat illa omnia opera mea, sicut tua præ-
 cedit; comitetur me in omnibus quæ fecero
 sicut te est comparata in omnibus quæ feci
 siquæ illa finis vltimus meorum desiderio-
 rum, ac eò deducat, vbi te clarè vi-
 deam, lumine quod ab illa
 procedit, in secula,
 Amen.